

1

PRO SANCTISSIMO  
LIBRO CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ

DISPUTATIO PRIMA  
SEX CAPITVM:

1. De autoritate Augustanæ confessionis.
2. De causis instituti operis Concordiæ.
3. De modo & processu confecti libri Concordiæ, deq; subscriptionibus.
4. De contentis quibusdam, phrasibus & anathematismis Concordiæ.
5. Causa editi in publicum libri.
6. Calumniæ Calvinianorum & Iesuitarum contra opus Concordiæ.

QVÆ CAPITA

Sub præsidio

M. SALOMONIS GESNERI

Suo ois defender

M. ABEL NIZENIVS Brunsvicensis

Ad diem 28. Iulij Anno 1593.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

M. D. XCIII.

Ami 1593  
in B. M. prod. eviuit  
na xpp.

217 A 07



בִּיהוּת חֲסִיתִי

**T**V mibi, cui rutili parere volumina cæli  
Cernimus, in dubijs spes bona rebus eris.

Te pugnante meum comitatur adorea Martem,  
Ac licet ad pugnam miles inermis eam.

Sive per æquoreas abeunti turbidus iras  
Intentet Boreas, Vnda, polusq; necem.

Sive per Æthiopum steriles agar exul arenas,  
Iugera quâ Cereri nulla colonus arat,

Tu mibi præsidium es, tu Tiphys & anchora: Tu me  
Esse super mensa deficiente facis.

Tu me duc medium inter papalemq; Charybdim  
Caluini & Scyllam: Te duce Victor ero.



AB

50 A 2/4, 12



WILHELM RICHARD  
Papier Dr. Georgii Müllerii  
M. D. XCIII.



CAPVT PRIMVM IN QVO AVGV-  
STANÆ CONFSSIONIS I. DIGNITAS:

2. authores: 3. certitudo: 4. à sacra scriptura differentia:  
5. propagatio: 6. vera sententia: 7. oppugna-  
tio recitatur.

Augustanæ confsessionis I. dignitas & præstantia,

THESIS I-



Erè magnum & incomparabile clementissimi DEI  
beneficium est, quod postremis hisce temporibus se-  
nescentis mundi lucem Euangelij ex densissimis Pa-  
patus tenebris prodire & in nostra patria Germania  
splendere voluit.

II.

Eius autem beneficij, quod est purum & putum DEI ver-  
bum, summa in articulis Augustanæ confsessionis à pijs maiori-  
bus nostris comprehensa & anno post natum Christum 1530. in  
celeberrima Synodo omnium ordinum imperij Augustæ Vinde-  
licorum Imperatori Carolo V. exhibita est.

III. 2. Authores & patroni.

Exhibita, inquam, non vnius atq; alterius priuati hominis,  
sed principum, Ciuitatum, Theologorum, & amplissimorum  
ordinum nomine, quotquot eam amplexi sunt.

IV.

Quemadmodum etiam eadem illa confsessio non vnius atq;  
alterius arbitrio, sed omnium orthodoxorum consensu conscri-  
pta fuit.

V. 3. Certitudo & autoritas.

Cum itaq; symbolum fidei nihil sit aliud, quam publica in  
vera religione consentientium confsessio, ideo Augustana  
confsessio non immerito Symbolum orthodoxè sentientium hac  
ætate nostra habetur.

VI. 4. A sacris literis differentia.

Nequaquam autem hoc ita accipiendum est, quasi Augusta-  
nam confsessionem sacris literis exæquare velimus.

A 2

Nam

VII.

Nam sacra scriptura sola est *ἀπόκρισις* & immota doctrinae  
eccelestis regula: Augustanae verò confessioni fidem non habere-  
mus, nisi illam ex scriptura extractam esse sciremus.

VIII.

Non quidem illa voce diuina immediatè est edita, sed tamen  
per diligentem verbi diuini meditationem patribus nostris à Spi-  
ritu Sancto inspirata, verboq; Dei abundè comprobata.

IX. 5. *Propagatio.*

Atq; hoc loco non modo authores ipsam esse voluerunt, sed  
multæ deinceps intra & extra Germaniam Ecclesiae & Scholæ  
acceperunt.

X. 6. *Germana interpretatio.*

Eaq; vt sese à Pontificatu segregant, ita omnes hæreses op-  
pugnant.

XI.

Neq; enim alio intellectu id symbolum retinent, quàm quo  
condiderunt & acceperunt.

XII.

Quis autem ille intellectus? Quem ex sacris literis acceptum  
ipsa confessio planissimis verbis explicat, & maiorum nostrorū  
orthodoxa scripta tradunt & formula concordiae explanat.

XIII.

Vera p̄inde sentētia Augustanae confessionis duob. constat ar-  
gumentis, quæ sunt primū sacrae scripturae *ἀπόδοξις*, deinde vera  
testium non fallaciū & in primis Reuerendi D. Martini Lutheri  
*μαρτυρία* & *διὰδοξις*, qua veluti de manu in manum eius inter-  
pretatio nobis est tradita & librorum monumentis ad omnem  
posteritatem transmissa inq; librum concordiae inserta.

XIV. 7. *Oppugnatio & abusus.*

Diabolus autem omnibus eam viribus primum impedire,  
ne in lucem veniret, conatus est.

XV.

Postquam prodijt & exhibita ac defensa est, vi & fraude re-  
stitit.

XVI.

Armis rem principio aggressus, pacem politicam, scholas  
& Ecclesias perturbauit. Inteq;

XVII.

Intérq; Politiarum distractiones & ruinas Zizania falsarū opinionum passim disseminauit.

XVIII.

Vnde hæc secuta incommoda, quod primum doctrinæ integritas uiolata, & falsa dogmata in Ecclesias repurgatas inuenta: deinde vinculum Christianæ dilectionis, φιλαδελφίας & concordiæ ruptum, animorumq; coniunctio distracta, fides labefactata: tertio ppagatio verbi diuini multis modis impedita: deniq; calumnijs, quibus diuinæ veritatis aduersarij scholas & Ecclesias nostras onerarunt, suasq; falsas opiniones occultarunt, multorum conscientiæ perturbatæ, & à veritate Euangelica auersæ, hac sub Pontificis iugum retractæ, illac vel in falsorum fratrum retia, vel hæreticorum laqueos coniectæ sunt.

CAPVT II.

*Causæ impellentes quibus principes commoti sunt concordia opus instituire.*

XIX. 1. τὸ καθήκον τῶν ἀρχόντων.

Eo cum, proh dolor, redactæ essent res Augustanæ confessionis, tres Electores, Ludovicus Palatinus Rheni, Augustus Dux Saxoniae, & Iohannes Georgius Marchio Brandenburgicus, alijq; pij & orthodoxi principes sui muneris esse statuerunt, operam dare, vt falsis de religione opinionibus clanculum in Ecclesiam irrepentibus maturè obuiâ iretur, & subditi in semel agnita verbi cœlestis veritate conseruarentur, neq; ab hæreticis seducerentur, ecclesijs verò & scholis pax restitueretur.

XX. 2. τὸ παράδειγμα τῶν προγόνων.

Reuocarunt enim sibi in memoriam laudabile maiorum suorum exemplum, quod anno Christi 1558. in conuentu Septemvirum Electorum Francofordiæ ad Mœnum pia sollicitudine consultum & è re ecclesiæ fore iudicatum fuisset, vt Electores protestantes initia ac fundamenta quædam certamq; formam in eundæ & retinendæ in nostris Ecclesijs concordia ponerent.

XXI.

Sicut etiam tum temporis controuersia sacrae cœnæ ita decisa fuit, vt de hoc articulo non aliter in nostris Ecclesijs doceretur,



quam in Augustana confessione, eiusq; Apologia & catechismis  
D. Lutheri veritas expressa est.

XXII.

In quo quidem conuentu laudanda in primis Argentinen-  
sim confessio, & Ecclesiarum Saxonicarum ingenua παρρησία,  
& principum Anhaltinorum pientissimum consilium, Caluini-  
anorum occultis fraudibus oppositum.

XXIII.

Nec non in conspectu habebant colloquium Naumburgæ  
Thuringiæ oppido habitum anno 1561. totamq; historiam eius  
anni, quo adeo acriter pro vera Augustanæ confessionis senten-  
tia pugnatum fuerat, vt antea nunquam.

XXIV. 3. ἡ τῶν ἐπιγόνων ἐπιμέλεια.

Rationem præterea posteritatis sibi minimè negligendam  
esse statuerunt, vt posteri quoque de falsa doctrina præmone-  
rentur, & Augustana confessio incorrupta ad omnes seculas  
ætates propagaretur.

XXV. 4. τὰ εἰρηνικὰ ἢ τὸ ἐσπῆσμένον.

Nec leue argumentum illud erat, vt publicæ pacis condi-  
tiones inter ordines Imperij sancitas sese hætenus religiose con-  
seruasse, & deinceps conseruare velle Imperatori Romano, &  
omnibus Imperij ordinibus publicè testarentur, vt nimirum pa-  
lâm constaret Electores & principes protestantes animum nun-  
quam induxisse, aliam vllam & nouam confessionem edere, ac-  
cipere & defendere, præter eam ipsam solam, quam anno 1530.  
Augustæ exhibuissent.

XXVI. 5. ἐπιελπίσια.

Sperabant insuper se edita & repetita confessionis sinceræ  
formula vtrunq; haud dubiè consecuturos, tum vt aduersarij  
Euangelicæ veritatis à propudiosa sua mentiendi & calumni-  
andi audacia desisterent, tum vt alij pij per istam confessionis  
iterationem in agnita veritate confirmarentur, ad diligentiorē  
scripturarum meditationem excitarentur, ab impijs opinionibus  
auocarentur, & rectum iter ad æternam salutem ingrederentur.

XXVII. 6. ἡ ἀνάγκη ἐξωθεν προσελθῆσα.

Atq; hæc quidem causæ maioribus etiam propositæ fuerant,  
qui Francofurti de concordie forma deliberarunt, & in collo-  
quio postea Naumburgensi declarationem Augustanæ confessio-  
nis genuinam publico decreto sanxerunt.

Id au-

4  
XXVIII

Id autem quod in primis spectabant consequi per aduersarios non potuerunt. Maximo liquidem animi dolore experti sunt, eam Christianæ confessionis declarationem & repetitionem apud aduersarios in acerbissimam calumniam esse conuersam.

XXIX.

Sic enim vere pium illorum institutum inimici veritatis interpretati sunt, vt omni pudore abiecto palam dicerent, Augustanæ confessionis patronos de sua confessione adeo incertos esse, eamq; toties mutasse, vt nec principes nec Theologi scirent, quodnam genuinum, & Imperatori Carolo V. exhibitum Augustanæ confessionis exemplar esset.

XXX.

Qua fœdissima calumnia & atroci mendacio multi alioquin pij à nostrarum scholarum & Ecclesiarum confessione absteriti sunt.

XXXI.

Accedente isto insuper incommodo, quod sub fraudulenta negotio & schemate Augustanæ confessionis impia Calvinianorum opinio de sacra Domini Cœna, aliæq; erroneæ opiniones multis in locis in scholas & Ecclesias irrepsent.

XXXII.

Quod cum pij quidam, Orthodoxi, pacifici & eruditi Theologi animaduertent, facile coniecturam facere potuerunt, impudentissimis aduersariorum mendacijs, & falsis ecclesias nostras inuadentibus fratribus & opinionibus melius occurri non posse, quam si articuli religionis, de quibus disceptatio incidisset, ex verbo Dei solidè declararentur & explicarentur, falsæ opiniones refutarentur, & reijcerentur, veritas cœlestis confessione quam planissima proponeretur. Hinc enim secuturum arbitrabatur, vt aduersarijs si non tacendi necessitas imponeretur, calumniandi saltem ansa eriperetur, & vt simpliciores discerent, quid de illis ipsis controuersijs sentire, & quo pacto deinceps omnes falsas opiniones fugere deberent.

Quapropter

### XXXIII.

Quapropter illi ipsi Theologi principio inter sese de contro-  
uersijs Ecclesiæ diu multumq; contulerunt, & ex immotis ver-  
bi diuini testimonijs rationem certam collegerunt, qua dissidia  
tolli & orthodoxæ veritatis perspicua confessio explicari & re-  
tineri posset, eamq; controuersiarum explicationem multo la-  
bore & industria in vnum volumen redegerunt.

### XXXIV.

Quod cum Principibus exhibuissent, non modo clementis-  
simè acceptum, sed etiam vnanimi consensu approbatum est, di-  
ligenterq; deliberatum, vt diuini nominis auxilio pax ecclesijs  
miserrimè afflictis restitueretur.

## CAPVT III.

### *De ratione subscriptionis libri Concordiæ.*

### XXXV.

Augustus itaq; Princeps Saxonie &c. Elector Romani Imperij  
vnanimi consilio & voluntate quorundã Electorũ & Principum  
Augustanam confessionem amplectentium pacis & concordie  
inter Theologos & ecclesias sancienda & confirmanda causa  
nonnullos spectatæ fidei, pietatis, doctrinæ, integritatis & ex-  
perientie Theologos Anno Christi 1576, Torgam conuocauit.

### XXXVI.

Qui de controuersis articulis inter se placidè collocti, sin-  
gulari auxilio Spiritus sancti ea omnia, quæ ad illud negotium  
ineunda & firmanda pacis videbantur necessaria, in vnum li-  
brum perspicuo ordine & methodo comportarunt.

### XXXVII.

Ille liber postea Electoribus, Principibus & ordinibus Im-  
perij, qui Augustanam confessionem amplectuntur, missus est  
& à singulis petitum, vt diligenter eum legerent, accuratè exa-  
minarent, & suam sententiã scripto comprehenderent, totiusq;  
operis ingenuam censuram mitterent.

### XXXVIII.

Postquam autè ea ex diuersis locis iudicia Torgã sunt missa,  
quibus ostendebatur, quo pacto veritas aduersus omnis generis  
corruptelas inviolata conseruari posset, omnibus seriò pondera-  
tis liber Christianæ concordie tandem confectus est.

Atq;

XXXIX.

Atq; vt illi, qui tum temporis in Ecclesijs & scholis harum regionum docebant, scirent, quid in concordiae libro contineretur, idcirco omnibus & singulis ecclesiasticis & scholasticis personis omnes libri Concordiae articuli propositi, praelecti, & ad expendendum ac considerandum traditi sunt.

XL.

Qui labor absq; fructu non abiit. Cam enim animaduertent controuersiarum explicationem verbo Dei & Augustanae confessioni consentaneam esse, illi, quibus ita, vt dixi, liber concordiae traditus fuerat, Deo gratias egerunt pro veritatis diuinæ perspicua declaratione, & librum Concordiae pro genuina & verè orthodoxa Augustanae confessionis interpretatione acceperunt, suaq; sponte à nemine coacti, re probè deliberata approbarunt, & subscripserunt, istamq; animi sui & sententiam & singularem de manifestata veritate lætitiã publicè ore manug; testati sunt.

XLI.

Proinde in Formula Concordiae non paucorum aliquot Theologorum sententia, vt multi calumniantur, sed omnium in Ecclesijs & scholis harum regionum docentium confessio continetur.

CAPVT IIII.

Contenta in libro Concordiae.

XLII.

Vt autè capita libri Concordiae facilius tractari possint, summatim ea percensenda sunt, quæ in libro illo continentur.

XLIII.

Primum itaq; verum exemplar Augustanae Confessionis, quod ab Ordinibus Imperij Imperatori Carolo V. Anno 1530. Augustæ in Comitijs exhibitum fuit, ex Archiuis principum descriptum, & cum originali, vt vocatur, diligenter & fideliter collatum liber Concordiae habet: cui etiam Apologia coniuncta est, & articuli, qui debebant in concilio Mantuano exhiberi, Smalcaldici nominantur, maior quoq; & minor catechismus Lutheri ibidem continentur, & tandem earum controuersiarum, quæ nostras ecclesias perturbauerunt, orthodoxa explicatio annectitur.

*Verū exemplar Aug. confessionis.*

B

Quod

XLIIV.

Quod ideo factum, ut Principes palam ostenderent, sese iniuste ab aduersarijs de mutata Augustana confessione accusari, neq; approbare, si qui priuata audacia aliquid in illa immutare sint ausi, neq; aliter vnquam Augustanam confessionem intellexisse, quam iuxta τὸ ἕκτον primæ editionis.

XLV.

*Philippi  
scripta.*

Quemadmodum etiam Philippi Melanthonis, Brentij, Urbani Rhegij, Pomerani aliorumq; in libris & monumentis ea approbarunt, quæ cum norma veritatis in formula concordiae exposita consentiunt, cætera aliena putarunt.

XLVI.

*Disputatio  
de Maie-  
state car-  
nis Christi  
quomodo  
ad S. cæ-  
nam per-  
tineat.*

Deinde illud etiam in libro Concordiæ liquido declaratur, quopacto disputatio de Maiestate carnis Christi ad negotium sacrae cœnæ vel pertineat, vel non pertineat. Cum enim apud eos, qui verbis Christi fidem habent, de præsentia corporis Christi in sacra cœna docetur, satis est, illam verbis institutionis confirmari, & dici, verba Saluatoris esse certissima, & Christum mentiri non posse, satis etiam habere potentia & virium ad ea præstanda, quæ pollicitus est verbo suo. Quando verò aduersarij obijciunt Christum vniuersa sua omnipotentia efficere non posse, ut naturale corpus simul in cælo & in sacra cœna sit præsens, & per realem & veram veri corporis & sanguinis Christi hic in terris præsentiam aboleri humanam Christi naturam, euertere articulum de ascensione Christi ad cælos, & sessione ad dextram Patris, tunc Theologos nostros, velint nolint, necesse est istam controuersiam explicare, & solidis scripturarum fundamentis ostendere, quod præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna neq; humanæ naturæ proprietates aboleat, neq; articulum de ascensione Christi ad cælos tollat, neq; sessioni eius ad dextram æterni Patris quicquam adimat.

LXVII.

Quod ad modos loquendi & phrasas attinet, quæ usurpantur in arduo negotio de Maiestate carnis Christi, declaratur in formula concordiae verus vsus abstracti & concreti, quæ multi confuderunt aut non recte explicarunt.

Deq;

**XLVIII.**

Deq; eius maiestate asseritur, humanæ naturæ in Christo, non extra personalem vnionem, neq; in ipsa vnione per se & ex se essentialiter, formaliter, habitualiter, subiectiue, vt scholastici loquuntur, diuinam maiestatem, omnipotentiam, omniscientiam & reliqua inesse & tribui debere: ( Hoc enim pacto diuina & humana natura, & vtriusq; proprietates inter sese commiscerentur & confunderentur, & humana natura aut diuinæ exaquaretur, aut prorsus aboleretur, quod dicere impium est: ) Tribui tamen & communicari diuina propria humanæ naturæ reuera ratione & dispensatione hypostaticæ vnionis,

*Quomodo  
humana  
natura di-  
uinae Ma-  
iestatis  
particeps.*

**XLIX.**

Damnationes seu Anathematismi, qui in articulo de sacra cæna & reliquis necessario fuerunt adhibendi, solummodo pertinent tum ad falsas opiniones, diuinæ veritati repugnantes, & solido Dei verbo in libro Concordiæ refutatas; tum ad earum opinionum impios autores & pertinaces defensores, ac istud sibi volunt, quod nec opiniones verbo Dei contrariæ nec earum patroni in nostris ecclesijs ferri vlllo modo debeant, & vt simpliciores ab erroneis Calvinianorum aliorumq; sententijs sibi caue-  
re discant.

*Anathe-  
matismi.*

**L.**

Eos, qui ex simplicitate in errorem aliquando sunt pertracti & veritatem verbi diuini non blasphemant, seq; doceri & rectius institui patiuntur, anathematis fulmine ferire nobis in mentem nunquam venit.

**LI.**

Multo minus integras ecclesias intra & extra Germaniam, quarum doctores à nobis dissentiunt, formula concordiæ damnat.

**LII.**

Certò enim nostri statuunt etiam in aduersariorum ecclesijs multos esse qui in simplicitate cordis sui ambulant, negotium istud non rectè intelligunt, neq; blasphemijs vlllo modo delectantur, quibus aduersarij legitimam Sacramenti & puram nostrarum ecclesiarum doctrinam afficiunt,

**B 2**

**Gravis**



## LIII.

Grauis proinde calumnia est, quod quidam Concordiæ libro imputarunt, Christianorum in Gallia & alibi exilia & calamitatem. Neq; enim principes nostri ista crudelitate delectantur, sed exulibus potius suam beneficentiã multis sæpè modis & largissimis muneribus declararunt: neq; illi ob nostrarum ecclesiarum confessionem in hoc negotio sacrae cœnæ à pontificijs affliguntur, sed eò quod à papatu defecerunt.

## LIV.

Admodum frequens præterea est tum apud Calvinianos tum apud Iesuitas, quod aiunt, nostrates religionem suam singulis pene annis mutare, & menstruam habere confessionem. Sed contra istud tam impudens mendacium Principes grauitè protestati sunt, se à desertione aut mutatione Augustanæ confessionis, quæ Imperatori Carolo V. Anno 1530. Augustæ exhibita est tantum abesse, vt eiusdem repetitione & declaratione illam ipsam potius illustratam, confirmatam, ab omnibus Sectis vindicatam, & posteritati serio commendatam velint.

## CAPVT V.

*Causæ divulgati libri Concordiæ.*

## LV.

Quibus de causis Concordiæ opus susceptum & qua ratione perfectum fuerit, hætenus significatum est: Nunc illud restat, vt indicentur ea, quæ Principes commouerunt, ut librum Concordiæ in publicum emitterent.

## LVI.

Prima proinde causa est ipsa doctrinæ certitudo: cum etenim solida omnium articulorum, qui hoc libro continentur, fundamenta ex scripturis haberent, ipsiq; in animo suo ea de re certi essent, decere Christianos arbitrati sunt, suam fidem non habere clam, sed palam edere. Quandoquidem corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Rom. 10.

## LVII. ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαίνοντων λόγων

Deinde è re Ecclesiæ Iesu Christi & omnium fidelium esse existimarunt, publicè extare normam veræ religionis, ad quam inter tot tamq; periculosas animorum & ecclesiarum distractiones animum suum imperitiores referre & Spiritus probare & opiniones multorum examinare, & in omnibus dubitationibus recurrere possent.

Tertio

2. Tim. 1.  
13.

7

**LVIII.** ἡ φιλονεικία ἀποτρέπη.

Tertiò resistendum fuit contentiosorum hominum rixis, qui ad nullam doctrinæ formam alligari, omniaq; in dubium vocare volunt, & id vnicum solummodo agunt, vt altercando omnis amittatur veritas.

2. Tim. 2. 14.  
Phil. 1. 15.  
Phil. 2. 30.  
Tit. 1. 9.

**LIX.** Διαδοχή ὀρθοδοξίας, καὶ ὀρθολογίας.

Quartò id quoq; pijs principibus incumberebat, vt sanam doctrinam ad posteritatem transmitterent. Nisi enim mature id prouidissent, profectò aliud nihil ex tam insatiabili multorum rixandi & litigandi, addo mentiendi fallendiq; libidine consecutum fuisset, quàm quod ad nos & posteros mera & horrenda quidem opinionum monstra deuenissent.

Gen. 18. 19.  
Ex. 12. 26.

**LX.** τὸ δέον τῶν πολιτευόντων.

Quintò sui muneris esse statuebant non tam de corporibus & fortunis subditorum, quàm de æterna ipsorum salute sollicitè prouidere. Quandoquidem pio magistratui vtriusq; tabulæ decalogi cura, patrocinium & defensio diuinitus mandata est.

Ex. 18. 20.  
Ios. 1. 8.

**LXI.** τὸ εἰρηνοπιῶν.

Sextò pacem & tranquillitatem scholis & ecclesijs restituere volebant, qua violata studia, pietatis collabi necesse est.

Mar. 9. 50  
2. Cor. 13. 10.

**LXII.** ἡ παρέκκλησις ἢ ὑβρίτησις.

Septimò non dubitarunt ex hoc opere multos & consolationem aduersus diaboli & satellitum eius calumnias & blasphemias accepturos, & solidam institutionem aduersus dubitationes & hæitationes adepturos.

Rom. 16. 4.  
2. Tim. 3. 16.

**LXIII.**

Deniq; vota & desideria multorum ex summis, medijs & infimis ordinibus diutius suspena tenere non debebant, ne veritatis diuinæ lampadem sub modio inuidentia, aut sub scamno diffidentia & inconstantia occultare viderentur.

Matt. 5. 15.  
Marc. 4. 21.  
Luc. 2. 16.

**LXIV.**

Eiusmodi causas tum conscribendi tum diuulgandi librum Concordiæ optimi Principes habuerunt, ob quas Anno 1580. in lucem publicam emissus est.

A 3

Neq;



Neq; illis unquam in mentem venit hoc opere nouam, & anteltac incognitam religionis formam condere, sed illud unicum spectarunt, vt diuini verbi æterna veritas, quæ in scriptis Prophetarum & Apostolorum continetur, quæ tribus symbolis, Apostolico, Nicæno, Athanasiano repetitur, quæ in Augustana confessione eiusq; apologia declaratur, quæ in articulis Schmalcaldicis & catechismis Diui Lutheri vberius explicatur, ad posteritatem salua & integra propagaretur.

LXVI.

Ideoq; operam quoq; dederunt, ne Concordiæ liber vel rebus vel phrasibus alijs vteretur, quam quæ commemoratis in scriptis vsitata sunt.

LXVII.

Atq; ita certi sibi persuaferunt hoc pacto non modo imperij fœdus inuiolabile mansurum, sed illud quoq; nostrarum inter se ecclesiarum & scholarum sacratissimum conformis fidei & confessionis vinculum ad omnem posteritatem factum & rectum duraturum.

LXVIII.

Quam ob causam non satis fuit optimis Principibus Concordiæ stabiliendæ curam semel suscepisse, sed in id quoq; incubuerunt, vt viri pij & orthodoxi vigilantissima cura diligenter attenderent, ne vel in scholas & ecclesias aliquid ab hac Concordiæ forma disidens clanculum surreperet, vel ex typographorum officinis furtim euolaret.

CAPVT VI.

*Notatio friuolarum obiectionum quas Hostes veritatis veræ narrationi opposuerunt*

Ex hac

LXIX.

Ex hac narratione liquido constat, quam vanæ & frivola, imò impiæ sint aduersariorum in Admonitione Neostadiensium, in defensione Bremensium, in excusatione Anhaltinorum, in mendacissima historia Ambrosij VVolffij, in impudentissimo scurræ Nafonis scripto, in malitioso Christophori Irenæi libro, in blasphemis Iesuitarum, Roberti Bellarmini & Petri Hansoni chartis, in mille deniq; pasquillis & nouis nouorum, cauillationes, calumniæ, imposturæ, mendacia, blasphemia.

LXX.

Quod enim vel Augustanam confessionem vel librum Concordiæ sacris scripturis exæquemus ridiculum figmentum est, id quo ex eo patet, quando liber Concordiæ solam scripturam dei normam tradit, reliqua scripta omnia eatenus approbat, quatenus cum scriptura consentiunt.

*Apol. L. C. cap. 8. For: Conc. cap. 1.*

LXXI.

Ita de authoritate Lutheri friuola querela est. Neq; enim Diuum Lutherum ita veneramus, vt non intelligamus eo vsq; illi adhærendum esse, quamdiu ipse Christum & apostolos sequitur: sicubi ab illorum vestigijs recedat (quod tamen aduersarij nondum ostenderunt, neq; nos animaduertimus) ibi nos Christo & apostolis potius coniungere ipsius voluntate & iussu didicimus.

*Apol. L. C. cap. 9. Lutherus in pref. 1. Tomi lat. viteb.*

LXXII.

Quid verò est, quod suas opiniones Calvinistæ condemnari ægrè ferunt, cum eas scripturarum firmissimis testimonijs everti videant?

LXXIII.

Antilogias esse in libro Christianæ Concordiæ facilius asseruerunt Neostadienses, quam probarunt.

Quemad-



LXXIV.

Quemadmodum in eo quoque insignis hominum leuitas conspicua est, quod scribere audent Concordiæ negotium nec legitime à magistratu susceptum, nec pie subscriptum fuisse.

LXXV.

*Sleidanus  
li. 7. p. 187.*

*Aug: con:  
art. 10.*

Mendacium verò toti Christiano orbi cognitum & responso pene indignum est, quòd VVolfius asserere non dubitat, Augustanam confessionem ab exhibitionis usque tempore apud ordines protestantium non alio, quam Calviniano sensu intellectam & acceptam fuisse: Cum & historice testentur Heluetios in ipsis comitijs Augustanis à nostris recessisse, & ipsa Confessio eorum opinionem, ut impiam, rejiciat.

LXXVI.

*Hans. lib.  
germ: p. 2.  
Refutatio  
p. 5.*

Vani autem sunt Bellarminus & Hansonius, qui vanum esse censent Christianam inter nos concordiam quærere. Non enim sectarios, sed diuinæ veritatis constantes professores Concordiæ vinculum connectit.

LXXVII.

*Hans. p. 3.  
Refut. p. 7.*

Vanum quod garrunt nos Augustanam confessionem idcirco symbolum nostrarum ecclesiarum appellare, ut maiorum symbola aut nulla fuisse aut abolenda esse, ostendamus. Neque enim apostolicum symbolum scripturis Prophetarum neque apostolico Nicænum, neque Nicæno Athanasianum quicquã derogat: cum symbola posteriora non veritati, quæ omnibus symbolis antiquior, sed mendacijs, quæ infinita & quotidie nova procedunt, opponantur.

LXXVIII.

Vanum, quòd vnus Philippi Melanthonis priuatum institutum mutatae confessionis Electoribus & Principibus & ordinibus protestantium imputant. Nam si approbassent, utique mutatam à Philippo & non illam ex Archiuis exscriptam formulæ concordie inseruissent.

Noi

LXXIX.

Non enim quia Salomon Rex in gratiam mulierum verum Dei cultum deseruit, idcirco Prouerbiorum & Canticorum libri ex sacris biblijs eximendi: Nec quia Philippus in Caluianorum gratiam vel Augustanam Confessionem adulterauit, vel clanculum ad ipsos omnino transfugit, idcirco Augustana confessio reiicienda & Ordines protestantium vituperandi sunt.

*Peucerus in pref. libri de diuinat.*

LXXX.

Vanum quod scribunt conuentum Naumburgensem Caluistarum gratia in eum finem esse habitum, vt decimus articulus mutaretur, & damnatio Sacramentarium induceretur, idq; eo vt pontifici bilem mouerent protestantes. Contrarium acta, decreta & recessus Naumburgenses luce meridiana clarius ostendunt.

*Hans. p. 7. Ref. p. 19. Aug. Cof. hist. f. 562*

LXXXI.

Putidissimum hoc est Iesuitarum mendacium, quod ipsi Volsius suppeditauit, qui ipsos Electores & Principes accusare non plus, quam illi, erubescit, & palam ista scribit: Absq; vlla contradictione verum est rectum & sanum Augustanae confessionis sensum inter illos, qui eam amplectuntur non amplius in primo exemplari: Sed in tractationibus postea de confessione habitis, & in iisdem factis recessibus atq; decretis quaerendum esse. Item: Statutum & ordinatum est, inquit, vt iuxta repetitae confessionis praescriptum, non iuxta primum exemplar, quod in decimo articulo Papismum sapit, sentiatur & doceatur. Impudentissima haec sunt omnia, cum ex Archiuis & Actis constet, anathematismum in Zuinglianorum dogma directum Naumburgae quoq; approbatum & in decimo articulo retentum esse.

*Volsius in fallaci histor. f. 252. 231. 187.*

LXXXII.

Vanum insuper quod Iesuitae mendaciorum architecti Illustrissimos Principes vituperant, quod librum concordiae antequam typis vulgaretur, clam habuerint, a paucis lectum & intellectum suis obtruserint: Ipsi siquidem Electores & Principes sua manu testantur librum Concordiae Torgae conscriptum reli-

*Hans. p. 11. & 12. Ref. f. 33. Praef. lib. Concord.*

C



quis Electoribus, Principibus & Ordinibus bis missū, publicè recitatum, expendendi & deliberandi tempus cuiuslibet datum, & singulos deniq; serio admonitos, ne dubia, hæsitante aut contradicente conscientia subscriberent.

LXXXIII.

Sed omitto reliquas Iesuitarum vanissimas vanitates percensere, quibus sanctissimo Concordiæ libro nihil incommodi adferunt, sibi verò ipsis apud omnes bonos omnem fidem derogant, & id efficiunt, vt ne vera quidem dicentibus quisquam posthac crediturus sit.

CONCLUSIO.

Dictum hætenus est de dignitate & autoritate Augustanæ Confessionis, de causis suscepti operis Concordiæ, de modo & processu confecti libri, de subscriptionibus, de argumento eiusdem, de formis loquendi, de anathematismis, de editione, deq; Calvinianorum & Iesuitarum calumnijs, pasquillis & vanissimis vanitatibus.

DEVS PROVIDEBIT.

אלהים יתן

FINIS.







AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.







Farbkarte #13

B.I.G.

SANCTISSIMO  
RO CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ

TPVTATIO PRIMA  
SEX CAPITVM:

ate Augustanae confessionis.  
stituti operis Concordiæ.  
processu confecti libri Concordiæ, deq; subscriptionibus,  
is quibusdam, phrasibus & anathematismis Concordiæ  
in publicum libri.  
Calvinianorum & Iesuitarum contra opus Concordiæ.

QVÆ CAPITA  
Sub præsidio  
SALOMONIS GESNERI  
Zw̄ et̄w̄ defender  
BEL NIZENIVS Brunsvicensis.  
Ad diem 28. Julij Anno 1593.



WITEBERGÆ,  
ypis M. Georgij Mulleri,  
M. D. XCIII.

*June 1591  
in B. M. prodierunt  
na sep.*